



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Quae Parochus doceat, & exequatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

lutem animæ tuæ? *Re. Pœnitet.*  
Et quod toties recidisti in peccata post  
acceptam ab eo misericordiam?  
*Re. Doleo.*

Nonne cognoscis tibi opus esse Dei  
misericordia, & quod meritis passionis  
Iesu Christi pœnitens saluaberis?  
*Re. Cognosco.*

Poterit etiam quandoq; cohortari,  
& facere, vt eo modo quo potest, secum  
oret, etiam vulgari sermone, si opus sit,  
aliquo ex infra scriptis modis, prout vi  
derit expedire animæ morientis.

In manus tuas Domine commendo  
spiritum meum: redemisti me Domine  
Deus veritatis.

Domine Iesu Christe, ob virtutem  
tuæ sanctissimæ passionis, iube me ad-  
scribi in numerum electorum tuorum,  
adiuua me Redemptor meus in hac ex-  
trema necessitate; succurre animæ egen-  
ti, sed in te solum speranti: totum me ti-  
bi do, non me renuas: ad te venio, non  
me repellas: sonet in mentis meæ auri-  
bus vox illa tua dulcis: Hodie mecum  
eris in Paradiso.

Domine Iesu Christe fili Dei viui,  
qui pro salute mundi in cruce es felle,  
& aceto potatus: sicut tu consummatis  
omnibus in cruce expirans, in manus pa-  
tris commendasti spiritum tuum: sic in  
hac hora mortis meæ, in manus pietatis  
tuæ commendo animam meam, vt eam  
in pace suscipias, & electorum choris  
aggregari præcipias.

Deus meus, Deus meus, misericordia  
mea, refugium meum. Te desidero, ad  
te confugio, ad te venire festino: ne de-  
spicias me sub tremendo discrimine po-  
sitam, adesto mihi propitius in his meis  
magnis necessitatibus. Ad te venio, qui  
nullis dees: cupio dissolui, & esse tecum.  
In manus tuas commendo spiritum  
meum Domine. Respice in me Domi-  
ne Deus veritatis: & præsta mihi Deus  
meus, vt in pace dormiam, & requie-  
scam. Amen.

Hac item, & simili ratione poterit  
cohortari.

Commenda te gloriosæ virgini Ma-  
riæ, dicens: Maria mater gratiæ, mater  
misericordiæ: tu nos ab hoste protege,  
& in hora mortis suscipe.

Inuoca Angelos, tuum præcipue custo-  
dem, dicens: Angele Dei, tu præsertim  
custos mihi assiste migranti ex hac vi-  
ta: custodite me Angeli ab immundorū  
spirituum inuisione; & animam meam  
in vestrum consortium assumite.

Commenda te sanctis Dei, præsertim  
quibus magis deuotus fuisti, dicens:  
Sancti Dei omnes vestro nunc mihi o-  
pus est patrocinio: vestris orationibus  
cito mihi succurrite: tu præsertim Bea-  
tissima virgo, tu sancte. N. vel sancta.  
N. in quem, vel quam confidentiam sem-  
per habui: in hoc extremo necessitatis  
articulo nō me deseras: sed si vnq; alias,  
nunc maxime me apud Deum adiuua.

## DE SACRAMENTO Ordinis.

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus doceat, & exequatur.

Sacramenti ordinis dignitas, vtili-  
tas, & necessitas quanta sit, ex eo  
perspicue manifestum est, quod alia sa-  
cramenta ab illo ita pendent, vt sine eo  
illa partim confici, ministrariq; nullo  
modo possint; partim solenni cæremoni-  
a, & religioso quodam ritu, ac pio  
cultu carere videantur.

Atque si summus eius gradus spectetur,  
hoc est sacerdotium; eius nobilitas at-  
que excellentia apparebit: Sacerdotes  
enim Dei interpretes, & internuncii  
quidam sunt, qui eius nomine diuinam  
legem, & vitæ præcepta homines edo-  
cent, & ipsius Dei personam in terris  
gerunt. non angeli solum, sed Di; etiam  
appellantur, quod Dei immortalis vim,  
& numen apud nos teneant.

Potestas Corpus, & Sanguinem Domi-  
ni nostri conficiendi, & offerendi, tum  
peccata remittendi, quæ illis collata est,  
humanam quoque rationem, atq; intel-  
ligentiam superat; nedum ei aliquid  
par, & simile in terris inueniri queat.  
Inferiorum quoque graduum dignitas  
ex eodem ipso capite potest demon-  
strari, prout magis minusve ad alta-  
ris sacramenta suo quisque ministerio  
accedit.

Cum



Cum igitur hoc sacramentum Archiepiscopus edicto proposito se ministraturum esse significabit, hæc & alia multa ex catechismo Rom. & alijs doctrinis opportuno tempore Parochus tradet populo; & ijs præsertim, qui ordines suscepturi sunt. & hæc præterea exequetur.

Edictum de sacra ordinatione præfinito tempore promulgabit: literas pastorales item eo ipso de genere.

Processionem eo ipso promulgationis die intra ambitum Ecclesiæaget, litaniasq; simplex recitabit.

Singulis diebus Dominicis per mensem ante statam ordinationis tempora præmonabit, atq; hortabitur populum ad piè religioseq; precandum pro sacra ordinatione proximè futura.

Dominico autem die ordinationem proximè antecedente, literas Archiepiscopi pastorales iterum de scripto recitabit.

Supplicationem præterea, processionem ve statam iterum obibit.

Denunciabit populo ex præscripta formula statorum sacrorum temporum ieiunia, & frequentius ob sacra ordinationis causam orationis studium, præsertim statis ferijs, quarta scilicet, sexta, & Sabbato.

Formulam denunciationis temporum vide in Conc. 4. Prou. 119.

Monebit autem præcipue, vt populus precetur; & pro Archiepiscopo, vt ordines ijs conferat, quos utiles operarios ecclesia postulat; & pro ijs, qui ordines suscipiēt, vt in dies habeat maiores progressiones in sanctis virtutibus. Et verò cum, vel edictum Archiepiscopale, vel literas eius generis pastorales, vel eorū, qui hoc sacramento initiandi sunt, nomina euulgabit, vel tempore orationis; de illius dignitate sermonem studiosè instituet ad populum, vt supra demonstratum est.

Quo in tractationis genere ita toto animo, atque adeo omni piarum meditationum studio incumbet; vt cum sibi, tum alijs etiam ecclesiastici ordinis hominibus, tum parochialibus suis concionando verè profit.

Primum verò ipse sanctis meditatio-

nibus, & precibus se se etiam atque etiam excitabit ad eam gratiam resuscitandam, quam hoc sacramento adeptus est. Deinde eo intimæ piæ meditationis studio accensus, cum alios, qui ad ordines vocati sunt, ad eadē pietatis officia ordinis dignitati conuenientia vehementius inflammabit; tum alios clericali ordinis homines ad earum rerum cognitionem erudiet atq; instruet, quibus viam sibi ad vltiores gradus facilius munire possint.

Præterea alios accendet, qui vel sua sponte, & voluntate, vel parentum cohortationibus, clericali vitæ genus sequi velint.

Parentes etiā excitabit, vt filios huic militiæ sacrae offerant, oblatosq; religiosè educant, aut educandos curent. Et quos offerunt, meliores, & aptiores ministerio Dei deligant; & quorum indoles præferat spem virtutum disciplinæ sanctissimæ clericali.

Docebit item, qua intentione offerant; non rei familiaris augendæ causa, non questus auaritate, non familiæ suæ sustentandæ studio, non honorum cupiditate, non ambitione, neque denique rei alterius cuiusuis humanæ affectu; sed ea solùm causa, vt Deo, ecclesiæque feruiant.

Reliquis autem fidelibus ostendet, quanta sit cleri dignitas, & quo honore digni ecclesiæ ministri. Proinde grauius, paterneq; eos arguet, qui clericos, sacerdoteseve negligunt, vel aspernantur. Proponet istis molestias, curas, vigilias, quas populi causa illi sustinent: vsque adeo, vt isti intelligant, honorè, quem ipsi clericali, sacerdotalive dignitati præstant, non tanti esse, qui dignitatis officij, & laborū sacerdotium clericaliumve magnitudinem adæquet. Iniquum esse demonstrabit, honorem Sacerdotibus non exhibere, qui sese pro populo Deo obstrinxerunt.

Docebit præterea, dignitatem Sacerdotalem clericalemq;, non à personarum, qui illam obtinent, siue obscuro loco, siue humili genere nati sint; sed ab officij munere administrationeq; pèdere: nec propterea illos æstimandos esse, quatenus homines sunt, sed tanquam



dispensatores myſteriorum Dei: quorū omnis admittatio illis commiſſa, ad populi ſalutem, & perpetuam utilitatem ſpeſcit.

Sed cum multæ ſummorum pontificum epiſtole, & canones demonſtrant, ac declarant honorem, qui honoratis clericis (quos Sacerdotes, & diaconos intelligunt) tribui debet; tum verò vnus præcipuus eſt à Concilio Matifconenſis patribus conſcriptus in hanc ipſam ſententiam:

Statuimus, vt ſi quis quempiam clericorum honoratorum in itinere obuium habuerit, vſque ad inferiorem gradum honoris venerāter, ſicut conducet Chriſtianum, illi colla ſubdat, per cuius officia, & obſequia fideliffima Chriſtianitatis iura promeruit. Et ſiquidem ille ſecularis equo vehitur, clericusq; ſimiliter; ſecularis galerum de capite auferat, & clerico ſincere ſalutationis munus adhibeat: ſi verò clericus pedes graditur, & ſecularis vehitur equo; illicò ad terram deſluat, & debitum honorem prædicto clerico ſincere charitatis exhibeat: vt Deus, qui vera charitas eſt, in vtriſque lætetur, & dilectione ſua vtrunque adſciſcat. Qui verò hæc, quæ ſpiritu ſancto diſtante ſancita ſunt, tranſgredi voluerit, ab eccleſia, quam in ſuis miniſtris dehonorat, quamdiu Epifcopus illius eccleſiæ vluerit, ſuſpendatur.

Quam grata obedientia, quæ eccleſiaſticis hominibus, præſertim ſacerdotibus præſtatur, facile oſtendet ſacrarum literarum doctrinis: rurſusque quod præmium ob eam cauſam à Deo ferent, qui illius miniſtros ſuſcipiunt, & honorant, quiſque illis obediunt. [Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet:] inquit Chriſtus Dominus.

Sunt huius generis loci, quæ plurimi, quibus Parochus abundare debet, vt & ſe, & alios excitet ad muneris ſui partes.

Docebit eos, qui Ordinis ſacramento initiantur, vt non ſolum quod cum omnibus commune eſt, ſibi proponant, vt omnibus in rebus Dei gloriæ ſeruiant;

ſed etiam alicui certo eccleſiæ miniſterio addicti, vta innocencia, morum caſtitate, iuſticia, religione, pietate, ſanctitateq; ceteris longè præſtent, præcipuis illi muneribus, & functionibus obſeundis, quas in eccleſia exequi debet; & verò tales denique ſe exhibeant, præſertim, qui ſacerdotio initiantur, curaq; animarum ſuſcipiunt, quales Beatus Paulus Apoſtolus eſſe oportere ſcribit, nempe [irreprehensibiles, ſobrios, prudentes, pudicos,] & reliquis virtutibus excellentes: quarum officia, & Apoſtolica doctrina, & ſanctorum patrum diſciplina, & ſacrorum conciliorum decreta, & canonum leges, & ſanctæ matris Eccleſiæ inſtituta, ac ritus in illis maxime deſiderant, qui Chriſti Domini ſacerdotio funguntur.

Declarabit etiam Parochus, vt eccleſiaſtici miniſterij, & præſertim ſacerdotalis functionis excellentiam fideles intelligant, præcipua munera atq; officia, quæ Chriſtus Dominus clericalis ordinis hominibus, ac potiffimum ſacerdotibus commendauit; vt animarum ſaluti, quam profuſo ſanguine in ara crucis operatus eſt, per illos conſuleretur.

Primum Chriſtus Dominus in hoc mandatum eis dedit, præcipuumq; munus commiſit, vt Euangelium prædicarent, regnum Dei annunciant, vimq; diuinæ legis traderent, omneſq; inſtituerent ad ſcientiam ſalutis.

Deinde Baptiſmum, & alia ſacramenta, quibus diuina gratia impartitur, & augetur, per eos miniſtrari voluit.

Præterea, ſacerdotes ſacrificiū pro ſe ipſis, & pro omni populo ſacere præcepit. Hæc, & alia munera atq; officia ſanctiffima, quibus ſalus populi curatur, Parochus accuratiſſimè explicabit; vt qui eccleſiaſtico ordini adſcribi volunt, facile intelligant, ſe vocari ad magnas, diuinaſq; functiones. docebit verò, non humana quidem induſtria ea geri poſſe; ſed diuina gratia, cœleſtiſque virtute opus eſſe, quæ per Ordinis ſacramentum, & ex ſancta animi præparatione, ſpiritualibuſque exercitationibus miniſtris eccleſiaſticis conferuntur.

De de-

Conc. Mat.  
c. 1. c. 15.

Mat. 10.